33696

DIES CINERUM

post licentiosa vitæ Bacchanalia

Seu

Vera in cinere & cilicio

POENITENTIA

DIVI LANDELINI

post traductam in impietate Adolescentiam,

Ad salutarem terrorem & exemplum,

Sæculi Libertinis,

Sub Bacchanales effrœnis Licentiæ ferias

Antecinerali Scena

PROPOSITA

Ab

Oratoria Facultate Almi Collegij Brunsbergensis Societatis JESU.

Anno 1726. 2. Martij.

ARGVMENTVM.

LANDELINUS è prima Gallorum nobilitate, in Cameracensi territorio ortus, Autberto sanctioris vitæ Magistro, literis & pietate imbuendus traditus est; cùmq; non mediocres in omni virtute progressus faceret, ita: ut relictis mundi vanitatibus, se totum DEO consecrare proponeret, quidam ejus Cognati, eum ab amore rerum cœlestium planè abduxerunt, venenatisq; sermonibus eò impulerunt, ut relicto clanculùm Autberto nefandis se totum sceleribus traderet, ac tandem cædibus & rapinis prædonum instar, se suamq; Familiam turpissimè inquinaret: Jamq; per frequentata flagitia præceps ruebat in perditionem, donec morientem unum repentè è socijs, æternis, justo DEI judicio, addici supplicijs, per somnium conspexit; hoc permotus, Angeliq; monitis perculsus, ad Autbertum redux amarissimam egit pœnitentiam, longaq; inediâ ac precibus vitam emendavit. *C. Baron. t. 8. Annal. & in Notis Martyrol. Rom. Surius 15. Junij. Grassius. Ribadeneira. Fasti Mariani. Hewenesi. &c.*

PROLOGUS.

Genius Landelini dubius in bivio æternitatis, hinc à Societate prava *repræsentante ei vanitatem mundi, ad complectendam viam spatiosam, illinc* à Timore DEi *ad arctam invitatur: Verùm dum iniquè persuasus, priorem apprehendit, conversa repentè vanitate, in osseum cadaver, patefactisq; Erebi faucibus perterritus, redux viam paucorum, asperamq; pœnitentium ingreditur semitam.*

ACTVS PRIMVS.

Scena I. Landelinus sub institutione Autberti, Religiosæ militiæ adscribendus Tyro, solitariam vitam in Cameracensi eremo probaturus, à lemuribus, strigibus, alijsq; terriculamentis infestatur ad mutandum vitæ propositum, quibus ab Autberto fugatis; pugnâ cum orco fessus, indormiscit, somnijsq; iteratò ad defectionem tentatur.

Scena II. Landelinus evigilans, Herous mundi contemptor, ad Autbertum se confert, insidias Erebi relaturus; qui dilaudatâ Landelini constantiâ, pro gratiarum actione cum eodem partem Ps. 17. à v. 18. *Eripuit me de inimicis meis &c.* canit, usq; ad v. 27. *Et cum electo electus eris, & cum perverso perverteris*; ad quem illachrymans seniculus, acriùs Landelinum monet, magis illi à perversis, quàm ab Orco imposterum metuendum esse.

Scena III. Autberto in ulteriorem pro oratione sylvam digresso: Landelinum tristiorem aliquantùm, Perversius Patruelis, Malkompagnius, cum alijs Aulicis Bon-Pererij Ducis, ex occulto, musicâ exhilarant; Landelinus, quinam sint? inquisiturus, ubi se illis adjungit, venenatis eorundem persuasionibus post diuturniorem luctam inducitur, ut clàm ab Autberto abscedat, Patri, mundoq; ultimum dicturus vale.

Scena IV. Bon-Pererius Dux Parens, Landelinum Filium reducem non omnimodè hilariter excipit; verùm dùm ex eo intelligit, illum pro ultima suorum valedictione redijsse, apparandum convivium Archimagiro, cognatos, proximioremq; nobilitatem invitandam, demandat Politinio.

Scena V.

Scena V. Expeditus à Bon-Pererio Landelinus pro digressione, multùm jam consortio Perversij, Malkompagnij, ac aliorum, in sanctis propositis labefactatus, dùm eminùs agnoscit, Nuntium Autberti urbem petere; suspicans significaturum Bon-Pererio, suam ab Autberto fugam, demandat socijs, ut illi accessum ad Patrem impediant, quod executuri, divexatum, in domum suburbanam custodiendum includunt. INTERMEDIUM.

CHORUS

Ex occasione Landelini orcum vincentis, & pravorum consortio victi, docet malos socios esse pejores dæmonijs.

ACTVS SECVNDVS.

Scena I. Sub finem convivij, accommodatus ultimæ Landelini valedictioni instituitur saltus: post quem Bon-Pererio amicisq; valedicere jubetur Landelinus, quod imperium dum cognati vident ægriùs Landelinum suscipere, supplices facti, triduum adhuc ab invito Parente, ultimis Filij impetrant hilarijs. Abeunte Bon-Pererio liberiùs genio indulgent. Ex quibus

Scena II. Bon-Pererius in suspicionem venit Landelinum in proposito vacillare; quod confirmat Autberti Nuntius, ob cognitam innocentiam è custodia dimissus, dum occultam ejus fugam ab Autberto significat; simulq; de sui ab Aulicis nuperna divexatione conqueritur, quod mandato Landelini factum esse fatetur Adulius.

Scena III. Justè ob hæc excandescente Bon-Pererio, Oeconomus nuntiat Landelinum & Malkompagnium liberaliùs vino indulsisse, variaq; inconvenientia perpetrâsse, priorem q; palàm nuntium Religiosæ vitæ remisisse: Ad quæ stupens pius Pater, cognitâ perversionis Filij causâ, consortium esse Malkompagnij, ex nunc hunc ejiciendum Aulâ, illum severiùs tractandum statuit.

Scena IV. Malkompagnio imperatur ab Oeconomo exilium Aulæ; quod ubi reluctanter exequitur, obvius fit Landelino, qui jam ab Adulio edoctus, Patrem sibi infensum, tùm ob susceptam ab Autberto fugam, tùm ob nupernam commessationem, socium se fugæ adjungit.

Scena V. Compertâ in Aula Landelini fugâ, undiq; à Bon-Pererio inquiri mandatur; quod ipsum per Præconem promulgatur, indicibusq; prœmia destinantur. INTERMEDIUM.

CHORUS

Docet nihil tam facile esse, quàm malum fieri. D. Gregor. Nazianzenus.

ACTVS TERTIVS.

Scena I. Landelinus cum Malkompagnio in sylvis, quas olim Religiosus Tyro inhabitaverat, in Mutillum ac alios prædones incidit, quibus se ambo non inviti adjungunt: ubi audiunt insequentes se Oeconomum & Adulium, in insidias se locant: Malkompagnio, ob asperam sui nuper ex Aula expeditionem, urgente prioris necem, consentiente Landelino.

Scena II. Dispersis in insidias prædonibus, Landelinus cum Mutillo, Nuntium Autberti reducem, ob Patri, sui denuntiatam fugam, in ulteriorem sylvam abductum trucidant. Oeconomus vix ab insequentibus

tibus Malkompagnio & alijs salvus, in excavatam arborem, quam condendis occisorum cadaveribus, adhibuerant prædones, se occultat.

Scena III. Elusi ab Oeconomo Malkompagnius cum socijs, è cursu sese collecturi, prædictæ assident arbori: Interea Mutillus cum Landelino, cadaver Nuntij in prædicta arbore condendum adportant, quod dum frustra ob repletam arborem Oeconomo, tentant: audito Venatorio cornu, relicto cadavere disperguntur. Malkompagnius quærens latebras inter vepres à Venatoribus pro fera interficitur.

Scena IV. Oeconomus terrore planè exanimatus è sepulchro suo rediens, Nuntium occisum, tùm cogniti ex voce Landelini ac Malkompagnij deplorat sortem. Junctus Adulio aberrantes in sylvis in Autbertum incidunt, cui quidnam cum Nuntio, ac Landelino agatur, referunt. Autbertus reductis in viam Oeconomo & Adulio, pro conversione Landelini DEUM supplex exorat.

Scena V. Landelinus quærens Malkompagnium incidit in cadaver ejusdem, ex cujus morte vehementer afflictus, lassatus in via iniquitatis, sopori se dedit, in quo eidem repræsentatur justum DEI Judicium, ac æterna mors Malkompagnij, monente Angelo, Landelino hucusq; Divinam Nemesim pepercisse, ob preces Autberti, nisiq; vitam correxerit, pari exitio obruendum.

Scena VI. Landelinus horribili somnio, summè terrefactus, acerrimo dolore anteactæ vitæ contritus, relictis omnibus, recta viâ ad Autbertum properat, ubi reperto etiam Bon-Pererio Parente (qui pro consolatione ad Autbertum venerat) inter amarissimas lachrymas, serò agnoscit se cum *perverso* effectum *perversum*: gaudiosis lachrymis ab utroq;, tanquam Filius prodigus recipitur, diemq; cinerum, post vitæ Bacchanalia inchoaturus, pœnitentiæ habitum assumit, scenamq; claudit.

EPILOGUS.

Timor DEI innocentes, illo S. Laurent. Just. de int. Conf. c.7. cavet: *Non evadet peccatum, qui socius voluerit esse peccatorum*; Nocentes monet: illis post licentiosè peragenda Bacchanalia, inevitabile eligendum fore bivium; aut æternam mortem, aut amaræ in vita pœnitentiæ, diem cinerum. Religio utrosq;, damnato pravo Consortio, ad Societatem JESU in Eucharistico cibo ineundam, quo associamur, unimur & incorporamur Christo (S. Thom. p. 3. q. 79. a. 1. in ☉) invitat: ingeminans illud ad Rom. 8. *Quis nos separabit à Charitate Christi &c.*

Ad
M.D.T.O.M.G.B.V.M.S.L.O.C.H. SSq; OO. perpetuum Cultum ac Venerationem.